

non cessaverit orbiculo suo firmissimè adhærere, id quidem mirum videri cuiquam possit; cùm toties inculcaverimus, inclusi aëris elaterem (dummodo aliunde debilitatus non sit) earundem esse virium cum externo lit erè nos sub dio ambiente. Verùm enim verò si rectâ rem reputemus viâ, videbimus, ex ipsa hypotheseos nostræ manifestâ necessitate Phænomenon hoc consequi, atque adeò per quendam regressum hinc ipsam hypothesein iterum corroborari. Scilicet externus liber & inclusus vasi cuidam aër æqualium ponuntur virium, si basibus æqualibus quoque corpori intus & extus urgendo incumbant, atque adeò respondeant cylindris aëreæ sphæræ non altitudinum solùm, sed basium quoque æqualium: id verò in præsentî casu non fit. Etenim diameter campanæ interior a b (Fig. 9.) cùm sit partium 215. tantùm, qualium exterior c d est 230. interni aëris basis circularis ad basin externi erit ut quadratum illius diametri h. e. ut 46225 ad 52900, demptaque utrinque parte quintâ, ipsæ basium areæ erunt 36980 & 42320 particularum quadratarum, harumque differentia, h. e. ima marginis annularis planities 5340; aut in mensura vulgatiore, cùm diameter a b adæquet quàm proximè $6\frac{1}{2}$, diameter c d $6\frac{1}{2}$ dig. Rhinl. horum quadrata erunt $6\frac{25}{16}$ & $6\frac{76}{16}$, sive $39\frac{1}{16}$ & $42\frac{1}{4}$ & consequenter utriusque parte quintâ subtractâ, basis circularis minor $31\frac{20}{80}$, major $33\frac{64}{80}$ dig. quadr. adeoque differentia seu planities annularis limbi in campanæ imo margine $2\frac{44}{80}$ h. e. plus quam $2\frac{1}{2}$ digg. quadratorum. Interioris igitur cylindri aërei basis $2\frac{1}{2}$ digg. quadr. minor est basi exterioris; mirum ergo non est exteriorem plus valere interiore, & limbum campanæ paulò latiore orbiculo suo tanto adhuc robore connecti, quanto cohærerent duo plana polita quorum area circularis exæquaret $2\frac{1}{2}$ digg. quadratos, juxta ea, quæ de duobus orichalceis Part. I. Tentam. IV. Phænom. V. & Conclus. IX. dicta sunt, & inferiùs de iisdem,